

civitates et castra sequendo artem archimie et in vita sua scandalosum esse, sicut ex ipsa visitatione sua nobis latissime patuit.

Quibus sic productis et in consilio perlectis surrexerunt procuratores communis tesauri petentes dictum fratrem Engelhardum pro interesse communis tesauri et honore religionis citari personaliter debere ad comparendum in conventu Rhodi et respondendum super his, super quibus dicti procuratores communis tesauri contra dictum fratrem Enghellardum dicere, obicere et alegare vellent ratione male administrationis et mali regiminis et obligationis prefate.

QUA petitione dictorum procuratorum communis tesauri audita ad maiorem confutationem dicti fratris Engelhardi non obstante, quod correctoribus et reformatoribus plena fides adhibenda sit, de quorum probitate et fide confisi ad talia negotia ipsos fideliter destinamus, que negotia per eos acta dicuntur, per nos esse facta tamquam ex eodem tribunali procedentia, nichilominus citationem ipsam admisimus et ipsam dictis procuratoribus concessimus, que fuit data sub die prima mensis Decembris millesimo CCCC quinquagesimo, sicut in registris nostre cancellarie apparet.

QUE quidem citatio fuit presentata dicto fratri Enghelhardo in oppido Staan⁸⁶ Aquilegien(sis) diocesis per fratrem Andream preceptorem in Helstan⁸⁷ et per notarium publicum Iohannem Girardi Yszinhusen, clericum Maguntinensis diocesis, indictione XIII et die Lune decimaseptima mensis Maii hora nonarum anno millesimo CCCC L primo, sicut ex relatione ipsius citationis nobis apparuit.

QUO termino in citatione ipsa expresso transacto et ipso fratre Engelhardo expectato ultra menses sex a tempore, quo comparere debuit, et adveniente fratre Sigismondo de Pilsna, procuratore venerabilis in Christo nobis precarissimi fratris Iodochi de Rosinberck pro collatione prioratus nostri Boemie vacantis per obitum condam venerabilis ac religiosi in Christo nobis precarissimi fratris Wencislay de Michilsparg, instantibus et requirentibus procuratoribus dicti nostri communis tesauri coacti fuimus iusticia mediante ad procedendum et procedi faciendum contra dictum fratrem Engelhardum ratione cuiusdam tituli asserti habiti per ipsum fratrem Engellardum super dicto nostro prioratu Boemie, ac etiam atento et viso quodam breve apostolico ad nos per dominum nostrum summum pontificem dominum Nicolaum papam quintum destinato, considerantes etiam quibusdam litteris fratris An-

86) Stein in Oberkrain, slowenisch Kamnik.

87) Heillenstein, slowenisch Polzela.